



# SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI

ET D. N. CLEMENTI VIII.  
PONTIFICI MAXIMO

CAESAR BARONIVS CONGREGATIONIS  
*Oratori presbyter sempernam felicitatem.*



IVINO plane nutu factum es-  
se videtur, Beatissime Pater, ut qui  
tempore Sixti Quinti sanctæ me-  
moriæ Pontificis Maximi Anna-  
les nostri in lucem prodire cœ-  
perunt, eorumdem tomus quar-  
tus, quarto tibi eiusdem in sede Pontifícia successo-  
ri iure debitus persoluatur; & quidem auspicijs feli-  
cissimis, afferens secum sua tractatione quatuor il-  
los Orientalis Ecclesiæ vertices, sanctissimos Epi-  
scopos atque Doctores, Magnum Athanasium, Ba-  
silium itidem Magnum, Gregorium Theologum  
summum, & Ioannem eloquentia maximum co-  
gnomento Chrysostomum; cumq. ijs adducens  
quatuor Occidentalis Ecclesiæ culmina, fidei colu-  
mnas, luminaria magna, Orbis miracula, Hilarium,

Hieronymum, Ambrosium, & Augustinum; tantorum Patrum corona cingens thronum tuum,  
ipsis quoque Angelis venerandum. Praeclaris igitur  
hunc comitibus animosior offert sese sacro conspe-  
ctui tuo quartus hic mihi genitus partus, tibi vero  
*Genes. 27.* primogenitus, expetens uti primogenitus a te bene-  
*Genes. 49.* dici, neenon quarto loco nato filio impertitam a Ia-  
cob benedictionem accipere: sed, nimirum utilius,  
tua Sanctitas ad declinandam inuidiam, duas hasce  
benedictiones vna illa compensabit, qua cælestia  
eademq. perennia tribuuntur: Hanc ut consequi  
merear, oro cupioque ijdem apud te existant tan-  
ti proceres intercessores: quos ista tua erga me be-  
neficentia tibi concilians, alijsque demerens offi-  
cijs, magna ab eis exigere poteris beneficia, ha-  
biturus eos tibi iugiter assistentes in rebus difficil-  
limis consultores, consolatores in aduersis, in ad-  
uersarios propugnatores, & adiutores in pastorali  
onere sustinendo; tantoque vallatus agmine bea-  
torum, omnia bene coepta felicioribus successi-  
bus prosequaris, ut Ecclesiæ gaudium impleatur:  
Quæ quidem post innumerabiles clades, postq.  
tot Romanorum Pontificum breui temporis spatio  
funera, adelectionem tuam diuinitus inspiratam re-  
spirans tandem, lugubria vestimenta deposuit, ac-  
*Isaia. 61.* cipiens a Domino secundum diuinum oraculum,  
oleum gaudij pro luctu, pro cinere coronam, &  
pro spiritu mæroris pallium laudis; ad spem quoque  
maiores erecta, ut in te quod sequitur impleatur;

ni-

nimirum, deserta a sæculo ædifices, ruinas antiquas  
erigas, & dissipatas ciuitates instaures, ipsas nempe  
Ecclesiæ ad fidem restituas iam ab impietate pro-  
stratas. Maiore vero perfunditur gaudio, cum tan-  
tæ erigendæ molis iacta iam videat fundamenta, &  
optata diu surgere mœnia a terra, eriq. super ba-  
ses suas ingentes columnas, dum ad summos hono-  
res optimos quosque prouehis. Accedit ad lætitiae  
cumulum, quod aspiciat diu extorrem restitui Ec-  
clesiasticam disciplinā, vigilare morum censuram,  
reuiuiscere sui obseruantia leges, sacrosq. canones  
pristino nitore florescere, cohiberi improborū au-  
daciam, postliminio reuocari exulem probitatem,  
sacrarumq. rerum scientiam excoli vehementius.

Ingens plane se hic aperiret curriculum oratio-  
ni meæ, si vellem eam per amplissimum campum  
virtutum tuarum laxatis quasi habenis immittere:  
sed illas ut contraham, facit perpetua atque admirabilis modestia tua, qua soles laudes existimare iacula,  
& hostes credere laudatores. Sed quando hoc  
mihi nulla ratione conceditur; reliquum est, ut (se-  
cundum illud Apostoli: Siue excedimus, Deo : si.  
ue sobrij sumus, vobis) quoniam cogitur oratio per  
tuas laudes transilire ieiuna; eamdem concitatam  
semel, sinam effuso cursu prorumpere in laudes  
Dei, & vberes gratiarum actiones, in quibus nul-  
lam timere possit inuidiam, nec suspicionem adu-  
lationis incurrire, cum & impellatur religione, at-  
que vrgeatur ex debito. Etenim quis impie & in-

grate nimis tot tantaq. Dei dona tibi pro salute om-  
nium attributa duxerit esse obuoluenda silentio  
& iniqua obliuionis veluti nube obscuranda, ac  
non potius pro illis Deo optimo maximo omnium  
bonorum auctori immortales immensasq. gratias  
& agendas & habendas esse censuerit? cum vel  
**Dens. 39.** ab ipsis incunabulis sua prouidentia ( vt vna Pro-  
phetæ sententia cuncta complectar ) te circumdu-  
xerit & docuerit, & custodierit vt pupillam oculi  
sui: parentem illum in primis tribuens, maximum  
nostris sæculi decus; qui cum sapientia polleret ac  
rerum scientia, duabus hisce alis te sicut aquila pro-  
uocans ad volandum pullum suum, docuit suo du-  
ctu imma despicere, ac sublimia petere quam celer-  
rimo volatu: Sed cito nimis, altius se efferens, & se-  
sc in cælestibus abdēs, ab oculis subductus est tuis:  
verum reliquit tibi, quem sequereris ducem præ-  
rium, morum magistrum, virtutum viuum exem-  
plar, Ioannem clarissimæ memoriae germanum fra-  
trem tuū, magnum illum S.R.E. Cardinalē quauis  
laude maiorem: qui prouidum agens aurigam cre-  
ditæ sibi quadrigæ, quatuor fratres summa concor-  
dia moderatus, dignos Apostolicæ Sedis dignis ob-  
sequijs mancipauit: te vero præcipue propensiore  
cura atque solertiore industria, veluti præscius fu-  
turonum, ad perfectiorem imaginem probitatis ex-  
coluit, ad hoc a Deo tamdiu cæli ciuis agere per-  
missus in terris, donec suscepsum opus absolueret:  
**Q**ui ex hac vita recedens, amplissimi te patrimo-

nij reliquit heredem, sapientiæ scilicet ipsius fidei  
a Deo commissæ, in te postea plene atque integre  
transferendæ; quæ indiuidua tibi semper socia iun-  
geretur & comes, confessura tecum in eminentio-  
ribus Ecclesiæ tribunalibus, progressura pariter ad  
remotiores prouincias in Romanæ Ecclesiæ ho-  
nestissimis functionibus, conciliatura tibi Reges  
& Principes, ac cuncta denique dextere confectu-  
ra : qua item duce tandem tu, quasi alter Dauid,  
fratrum tuorum natu minimus, Maximus Ponti-  
fex exorirere : vt merito gratias Deo referens, il-  
lud ipse eiusdem Dauidis v surpare possis : Tenui-  
sti manum dexteram meam, & in voluntate tua  
deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

Cum igitur pro his donis a Deo tibi cōmuni ho-  
minum bono concessis diuinæ bonitati ab omni-  
bus sint gratiæ agendæ : mihi certe id potissimum  
incumbit ex munere, quòd in te Clemente Deus  
optimus maximus summum illum Clementem  
Petri Apostoli successorem mihi præsttit rediui-  
uum, cum eumdem quem refers nomine, prætefe-  
ras exemplo, insistensq. tanti præcessoris vestigijs,  
sicut ille ad scribendas res gestas Notarios septem  
delegit, ita tua sanctitas æque sciens tantam haud  
negligendam esse prouinciam ( quam S. Augusti-  
nus expendens, magna fiducia dixit, Christianæ re-  
ligionis seständæ esse caput historiam ) ad profe-  
quendos cœptos Annales Pontificia munificentia  
opus vrgere non cessas. Quo quidem nomine ma-

Aug. de  
vera relig.  
c. 7.

ximas Deo Patri lumen gratias agere debo,  
qui ad lucubrationum mearum lucem, tantam lu-  
cernam latentem sub modio super candelabrum  
constituit, illudq. meis chartis per obscuris admo-  
uit, quo tanto fulgore illustratae splendescerent:  
Ad cuius lumen elucubratum quartum hunc eo-  
rumdem Annalium tomum tibi ipsi, vt Christi  
Vicario, tuis aduolutus pedibus, libens do, dono,  
dicoq. Tu vero, Summe Sacerdos (quod sacri  
*Leuit. 23.* muneris est) oblatum manipulum ad Deum ele-  
ua, vt consecretur, vt sic in eo reliqua messis bene-  
dicatur. Vale Beatissime Pater, teq. in omni-  
bus vijs tuis Dominus feliciter antecedat.



# OCTAVIO PARAVICINO

S. R. E. P R E S B Y T E R O

CARDINALI AMPLISSIMO



*CAESAR BARONIUS FELICITATEM.*



ECTE sane atque ordine, Cardinalis amplissime, antiquo iure sancitum est, ut cederet terræ arbor, in qua primum emisit planta radices. Qua ratione ius aliquod tibi quæsitum esse in nostris Annalibus vendicandis, & que consentio: etenim quos modo vides in arborem excreuisse, olim extitit pusillus surculus in tuo solo plantatus, cum apud te degerem adolescens. Verum cum tempus adsit, vt & tu exigas & ego reddam fructus ex arbore: ecce quartum afferro Annalium tomum. In cuius oblatione intelligas velim, vel ex hac parte nihil esse, quod queri possis, eos qui ante cūsos acceperunt, tibi esse prælatos: cum diuina lege *Leuit.9.* constet, quarti anni arborum fructus esse omnium præstantissimos, dignosq. solos habitos qui Deo darentur, inferrenturq. diuino conspectui: Ut hanc etiam ob causam, cum exhibeam potiora, cunctationem hanc non ingrati animi, sed propensioris studij indicem esse sentias: cum alioqui recorderis te puerum olim decerpisse eorumdem tenella manu primitias, dum in candidum illum cupidumq. discendi animum tuum res gestas sanctorum Patrum quotidianis sermonibus instillarem, quas in nostri Oratorij auditorio mira venustate atque lepore, magna audientium voluptate ac plausu consueuisti annis pluribus recitare, admirantibus cunctis in puerili ætate senilem in dicendo maiestatem atque facundiam, iunctamq. cum simplicitate prudentiam. Talibus namque tantisq. primordijs tua meruit pueritia consecrari: cum & non vnius Chironis manus, sed certatim plurium sanctissimorum virorum sedulitas, summa industria, & assidua solicitude, longo tempore ad pulcherrimum virtutis exemplar te componere atque efformare studuerint. At cum adoleuit ætas maiore incremento propagata virtutum: optime accedit, ut antequam conidere posset in te oculos Aegyptia petulans; virgo illa castissima non habens *Genes.39.* culam neque rugā, Dei Ecclesia te suis præuenērit optatis amplexibus, arctoq. amoris nodo deuinixerit, cum sacris ordinibus obligauit; astrinxerit vero tenacius, cum vt primum per ætatem licuit, te sibi adiunxit in sponsum spiritualium foedere nuptiarum: cuius sacri connubij pronubum esse voluit magnum illum Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum, S. R. E. Cardinalem dignæ memoriæ, Carolum Borromæum.

Cum vero in ea functione tibi ipfi, & ei qui te summo initiauerat sacerdotio, cumulate responderes, & numeris omnibus satisfaceres: quòd exiguis palæstræ locus ad experimentum virtutum visa sit vna Alexandrina Ecclesia; Sextus Quintus sanctæ memoriæ Pontifex Maximus ad latiorem te campum perduxit, & difficiliora certamina præparauit, cum ad Heluetios Nuntium mi-

sit, comprouincialiumq. Ecclesiarum Apostolicam visitationem adiunxit. Quot autem hic mihi facta, & quanta tui cum laude, quæ a te vtroque in munere exierunt, recensenda essent, nisi scirem me epistolam scribere, & non encomium texere? Quid demum? Agentem tamquam Abraham in Montanis, operi instantem, atque laboribus insudantem, ex inopinato quæsiuit te tui cupida diu purpura, non tu illam; ornauit te, quo ipsa tuis virtutibus ornaretur, cum religiosæ memoriæ Gregorius Papa XIV. cooptauit te in sacrum Senatum, allegens in numerum S. R. E. Cardinalium. Talem vero cum te hoc tempore conueniant, inueniantq. Annales nostri, quanta nos putas gestire lætitia? quæ etiam gratior atque iucundior efficitur memoria tristum. Etenim totius vitæ tuæ in hanc usque diem transactæ periodo quamdam mihi imaginem repræsentas Iacob ob pacem voluntarie exulantis, atque tandem ad propria cum coniugibus & liberis magna cum gloria reuertentis; cum te sponte ob tranquillitatem extorrem, duplicitis dignitatis splendore conspicuum, Deo reduce, receperimus; in quarum altera Liæ fœcunditatem, in altera Rachelis pulchritudinem contemplemur. Hæc cuncta adeo grandia Dei beneficia haud otiose ob oculos ponere, & in mentem tibi reuocare putauimus, scriptisq. nostris omnibus testata relinquere, quo scias plures magnarum rerum tibi exactores imminere, Deum in primis atque homines, addam etiam & te ipsum: etenim nemo abs te importunius exiget, quām existimatio ipsa tua tecum a pueritia parta, in diesque incrementis maioribus aucta, cui non satis sit præstare communia, cum singularia quædam atque adeo mirifica postulet; licet de exactione secura, non quærat de fide tua dubitans fideiussorem. Ceterum quod mearum partium reliquum est, rem paucis absoluan, quod non verbis, sed rebus mihi tecum transigendum sit. Age iure tuo, utque tua vendica tibi mea cuncta: nihil enim iustius contingere poterit, quām si quæ Cæsarlis labore parantur, debeantur Octauio augustiora conanti. Vale.



STANISLAI CARNCOVII  
ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS  
METROPOLITANI REGNI POLONIAE

Epistola ad Auctorem

DE TRANSLATIONE ANNALIVM  
in linguam Polonam.

¶¶¶¶¶

ADMODVM REVERENDE IN CHRISTO PATER  
nobis carissime & obseruandissime.



FFICIVM fraterna charitatis, qua Christiana  
fidei religionisq. communione colligamur, hoc a me  
(licet tibi de facie non sim notus) iure quodam suo  
postulat, ut tibi commune in Christianam Rempu-  
blicam abs te profectum bonum gratuler, Annales  
nempe Ecclesiasticos nuper abs te editos, gaudiumq. meum non vul-  
gare, quo sum ex hoc laborum tuorum fructu eximie affectus, apud  
te expromam. Cum enim primum atque alterum eorum Annalium  
volumen aude perlegisse (sero enim in manus meas peruererunt)  
egi tantas, quantas animus meus capere potuit, Deo bonorum om-  
nium auctori gratias, qui in necessarijs Ecclesia sua prouidit oppor-  
tuno tempore, tibiq. non modo mentem & voluntatem indidit ad  
opus arduum, difficile, propeq. immensi laboris, in quo annos, ut  
scribis, triginta desudasti, suscipiendum, sed etiam vires faculta-  
temq. prestitit ad perficiendum. Tuum vero pectus plenum pietati-  
tis & amoris in Deum, plenum omnis doctrinae ac scientiae, absens,  
absentis tamquam presentis, dum libros euoluerem, cupidissime sum  
exosculatus, atque incredibili tui studio accensus. Natura enim i-  
psa optima duce, cupide ferimur in eorum amorem, qui insigni una  
aliqua virtute excellunt: in eorum vero qui pluribus, cupidius: qui  
autem non modo pleni ipsi sunt caelestibus istis diuinisque dotibus,  
sed & alios iisdem locupletare solent, hos uti vasa diuini Spi-  
ritus, eiusq. donorum a Deo electa, omnium maxime suspicimus &  
veneramur, capimurq. summo & admirabili eorum amore. Iam-  
pridem ego de te multa a nostris hominibus, qui te in nostram  
gentem suauiter effusum narrabant, mea magna cum voluptate au-  
dieram, perspiceramq. emendato Martyrologio tuam pietatem,  
& studium Dei gloriae propagandæ, eiusq. Ecclesia ornandæ. Sed

cum

cum Annalium volumen primum, ac postea alterum in manus nostras venisset, hac mihi in te tanto illustriora visa sunt, quanto evasius pelagus non modo ingressus, sed prope emensus. Ac repetenti quidem mihi memoria diuinæ bonitatis consuetudinem, quam in Ecclesia istius militantis regimine ab ipsis eius incunabulis retinet, videntur semper nouis morbis noua remedia fuisse subministrata. Ita (ut recentiora, & qua sub aspectum nostrum venerunt, tantum attingam) cum Lutherus hæresis sua virus effundere cœpisset, quo maxima Europa pars infecta fuit, quodq. sectas innumeratas inter se admodum dissectas peperit: excitatus fuit clarissimus Societatis Iesu ordo, qui cum alijs pro Ecclesia laborantibus, hac pestifera lue mortaliū animos liberaret: ex qua cum alijs plurimi viri Dei spiritu pleni, omniq. genere scientia ac doctrina instructi, tamquam ex equo Troiano prodierunt, tum nuper Robertus Belarminus prodijt, quem tu inexpugnabilem aduersus hæresim turrim, editis in lucem disceptionibus de fidei nostra controuersiis, extruxisse scribis. Ita cum Centuriatores, figmentis mendacijsq. suis, historijs Ecclesiasticis tenebras offudissent: te potissimum elegit Dominus, qui tenebras istas depelleres, lumenq. clarissimum Orbi uniuerso afferres; totumq. Ecclesiasticum edificium, tecta nimirum, parietes, & fundamenta, atque adeo Hierarchiam ipsam, non modo vallo, muroq. inexpugnabili, historiæ nimirum veritate, cingeres & munires, sed etiam armatura aduersus hæreses, dum controuersas questiones doctissime pertractas & explicas, cumulate instrueres. Ostendisti igitur, uti optimus artifex, augustissimi edificij, militantis nimirum Ecclesia origines, pugnas, victorias, trophya, & incrementa: ostendisti perpetuam & non interruptam Romanorum Pontificum a Petro Apostolorum principe successionem: ostendisti denique summa nostra fidei firma menta, utpote traditiones Apostolicas, fidei dogmata, Petri in Ecclesia primatum, SS. Romana Ecclesia maiestatem, Conciliorum auctoritatem, vetustissimumq. sanctorum Patrum de diuinis Scripturis sensum: quibus omnibus Catholica fides magnopere firmatur, omnisq. impietas & hereticorum figmenta ita deficiunt, sicut deficit fumus, & sicut fluit cera a facie ignis, sic illa quoque peribunt & evanescunt. Iam si tua narrationis modum, genusq. dicendi, quo ego magnopere delector, depradicem; principium facilius quam finem inueniam; tuq. ipse fortasse, quamlibet verissima scriberem, assentari me tibi putares. Sed vere tibi a me dictum velim credas, admirari me in hoc immenso opere magnarum variarumq. rerum in te scientiam, multarum linguarum peritiam, historiarum tam sacrarum quam profanarum cognitionem, accuratamq. & exactam antiquitatis investigationem, siue ex veterum lectione, siue ex numismatibus,

siue

sue denique ex vetustissimis arcuum triumphalium, columnarum,  
porticum, templorum, aliarumq. vetustissimarum ædium inscriptio-  
nibus: quæ omnia ita historia tuae accommodas, ut manifestum sit, ne-  
cessarias eas res unicuique fuisse ad texendum tantum opus. Igitur  
tam magna & ampla talenti tibi crediti lucra atque prouentus,  
bonorumq. omnium studia, qui pro tua incolumitate mecum una  
Deum optimum maximum precantur, ex animo gratulor. Et ut  
alia omnia, quæ restant, volumina, quæq. te facturum editurumq.  
promittis, quæm citissime nobis prodas, ad Iesu Christi gloriam ex  
animo opto, atque abste maximum in modum peto: operamq. tibi  
meam & facultates omnes, tantæ quantæ sunt, ad eam rem polli-  
ceor & defero. Et si permittes, curabo, ut in Collegio Patrum So-  
cietatis IESV Calissij, nuper a me fundato & erecto, in linguam no-  
stram Annales isti transferantur, ut tu veluti ciuis Polonus de uni-  
uersa Republica Ecclesiastica optime meritus, nostro nobiscum idio-  
mate loquaris. Data ex Arce nostra Louicien. V. Mensis  
Augusti, Anno Domini M. D. XCII.

Reu. P. V.

Studiofiss. amicus & frater

Stanislaus Carncouius Dei gratia Archiepiscopus Gnesnen.  
Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusq. Princeps.



ILLVSTRISSIMO  
AC REVERENDISSIMO D.  
STANISLAO CARNCOVIO  
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, LEGATO NATO,  
REGNI POLONIAE PRIMATI,  
PRIMOQUE PRINCIPI S.P.



IT TERRARVM tuarum ipsa dumtaxat inspe-  
ctione, Praesul amplissime, magna admiratione affe-  
ctus sum, ubi eas a viro tanto datas ad me noui, nem-  
pe ab Archiepiscopo Gnesnense, Legato, Poloniae totius  
Primate, primoq. Principe, natalibus praefecturisq.  
adeo nobilitato, & quod ceteris prestat, ob res pra-  
clare gestas, egregia vita meritis summa gloria insi-  
gnito: qui regalis sacerdotij functione, & sacerdotalis principatus ministe-  
rio, sacerdotem simul agens & Principem, principem locum in utroque  
sis facile consecutus; dum Archiepiscopi sedulam vigilantiam, Legati soli-  
citum fidumq. ministerium, Primatis praeclaram diligentiam, ac denique  
Principis robur indefessum, invictumq. animum in omnibus quam absolu-  
tissime exhibet: adeo ut perditissimis his deploratisq. temporibus, maxi-  
mo Dei beneficio, cum quatuor hisce muneribus factus sis plurimis causa  
saluis, de te Propheticum illud occinere iure liceat: Quadriga tua salua-  
tio: itemq. faustis vocibus acclamare: Currus Israel & auriga eius: qui  
& una simul quadriportito munere, quatuor munia expleas personarum  
Moysis, Aaron, Hur, atque Iosue, sicq. insint quatuor facies vni, dum  
quorum personam geris, eorumdem quatuor virtutes reddas, officiaq. per-  
solvas. Ad hanc, inquam, adeo admiranda, ipso primo tuarum litterarum  
intuitu, immenso fulgore prastrictis oculis, pallens obstupui: verum ipsas  
perlegens, mox excusso pallore, erubescere coepi, ubi inspexi immensas, quas  
mihil laudes aggeras, exaggerasq. dicendi facundia, cum me illis longe im-  
parem ac prorsus immeritum esse sentirem. Sed caue, ne exactius cuncta  
scrutatus, inuenias (quod est in fabulis) pro virginem ceruam, vel si ex diui-  
nis Scripturis petatur exemplum, conspicias pellum pro Davide simula-  
crum; suffundarisq. ipse rubore, dum ab illa imagine abhorrere me senseris,  
quam finxeras tibi animo, atque stylo formaueras. Sed est plane, ut hoc  
quoque nomine immortales tibi gratias agam; quod probe intelligam, vehe-  
mentem amoris vim, quo me prosequeris, haud patientem angustis arctari  
limitibus, redundantia quadam in plures laudationum exitus erupisse, flu-  
xisseq.

xisseq. magno impetu in flumina beneficentia, cum adeo liberaliter non solum operam tuam spondeas, sed et facultates, tanta quanta sunt, ut ait, sponte offeras. Verum liceat illud Apostolicum usurpare: Quare vos, non vestra. In his enim quae opus sunt, satis abunde suppeditat mihi Romani Pontificis Clementis munificentia. Ceterum quod ad tuam amplitudinem spectat: plus quam satis ab te meis rebus consultum erit, si me inter clientes tuos anumeres; si vero et inter amicos, summum adiicies gratia cumulum, generoso animo tuo dignum.

Quod autem a me exigis, impartiri tibi licentiam, ut Annales nostri in Polonorum linguam vertantur, ipseq. Polonus effectus, cum Polonis communis idiomate loquar, cum id existimes ad expugnandos hereticos haud leuiter profuturum: imitari plane visus es mihi fidei patrem Abraham, qui ad debellandos quinque Reges, satis sibi putauit armare vernaculos; et sequi Davidem, qui regis neglectis armis, rusticis telis est progressus ad pugnam: quippe qui probe noueris, noua bella Dominum elegisse, in quo qui est infirmior, ille potentior habeatur. Accurro igitur summa alacritate tanto classico excitatus ad bellum, inharenens tibi strenuo ac pugnandi perito, ut armiger Ionatha. Annuat votis Deus, ut tuos labores ac studia, diuina aspirante potentia, latea victoria consequatur: concedatq. mihi Euangelica promissione, ut qui lingua locuturus sum noua, serpentes pariter tollam. Sciant velim Poloni mei, omnia nostra patere ipsis: nec id quidem recens, sed iampridem iisdem nostris oppigneratos esse labores, cum olim Roma iacebantur Polonorum Collegij fundamenta. Sed quod ille plane visus est ad experiendas vires amoris nostri erga Polonos angustus palæstra locus: ecce vocati in latum campum, lati progredimur, non paucis tantum, sed uniuersa prouincia profuturi, sub tanto ductore fortes, licet vires nostras pertenues formidemus. Quod vero per viros religiosissimos, eosdemq. eruditos ac maxime pios, affirmas nostras Annales fore reddendos lingue Polona: nihil hoc potuit nunciari gratius atque iucundius. Si enim Doctor Gentium Paulus, aduentu Titi, quo vtebatur interprete, magno affectus est gaudio: quanta ego debeo gestire latitia, tot simul nactus Apostolicos viros interpretes? Porro huius adeo grata petitionis tuas ipsas litteras testes, futuras posteris perpetuum monumentum, nostri qui sub prelo est quarti Annalium tomij frontispicio perspicuas cunctis affigendas curabimus, vocalem titulum, et semper loquentem inscriptionem prægrandibus signatam notis summa tua erga me benevolentia. Quin et has nostras eisdem subiiciemus litteras, que pro foribus eorumdem Annalium veluti ianitores excubent, patentes indices non concessionis solum, sed et mei erga amplitudinem tuam studij et obseruantie: que itidem cunctis ingredientibus notum faciant, et que intus sunt, et omnia denique nostra, nostris exposita esse Polonis, ipsis dicata, ipsorum semper inseruitura commodis: Quibus bene precamur, ac cupimus acceptam eos a maioribus Catholicam fidem integrum illibatamq.

seruare,

seruare, ut pote digito Dei scriptam, cum innumeris ipse eam miraculis confirmaret: agnoscantq. pastorem suum, sanctorum Antistitium legitimum successorem, veraq. fidei & paternarum traditionum heredem, earumdemq. acerrimum defensorem: cumus Apostolatus vos ipsi credentes (quos appello) signa estis in Domino, qui ab eo pastorali studio renocati estis ad caulas; & cum essetis oves errantes, iam conuersae fuistis ad pastorem & Episcopum animalium vestrarum, quod pro magno miraculo sit posteris commendandum: cum, ut taceam alia multa, in amplissima ciuitate, ubi duos Catholicos vix fuerat reperiri, agre totidem nunc hereticos numerari contingat: ut hac ex parte sit Magno illi Thaumaturgo Gregorio comparandus, ne temere dicere videar, preferendus: nam ille & plures numero Christianos reperit; diemq. obiens, totidem Gentiles, nempe septemdecim post se reliquit.

At tu ipse, validum Ecclesiae Catholice propugnaculum, vale: tibi q. iam etate longauo concedat Deus, ut instar sanctissimi Simeonis, antequam ex hac vita recedas, exceptatam, diuq. expectatam plenam videoas redemptionem Israel, uniuersum inquam Polonorum populum fidei Catholicae restitutum. Roma. prid. Kal. Octobr. M D XCII.

Illustriſſimæ ac Reuerendiss. D. V.

Seruus addictiſſimus Cæſar Baronius.



SIXTUS

# S I X T V S P A P A V.

DILECTO FILIO CAESARI BARONIO SORANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII

N V N C V P A T A E.



**D**ILECTE Fili, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius noster Antonius tt. SS. Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis Carafa nuncupatus Bibliothecarius Apostolicus nobis retulerit, a te primum Annalium Ecclesiasticorum volumen editum, aliaq. propediem edenda esse, opus non minus docte quam fideliter a te scriptum, & ad totius antiquitatis Ecclesiasticae notitiam comparandam valde vtile: quibus nimurum non tantum res gestae exacte per annos singulos recensentur, & quae de his obortae sunt contiouersiae elucidantur, sed etiam ipsi Apostolicarum traditionum fontes purissimi aperiuntur, atque haereticorum mendacia confutantur: Nos, qui eruditorum omnium fouere solemus ingenia: cum tuam in primis industriam, & egregiam pro Catholica Ecclesia nauatam operam magnopere in Domino commendemus: Cupientes, vt ijdem a te editi, vel edendi Annales Ecclesiastici ad integrum rerum veritatem custodiendam seruentur penitus incorrupti, & quam diligentissime fieri potest, typis excudantur: ac demum ne a quoquam seu negligentia, seu malitia, mendis deformari, aut aliter etiam forsan titulo mutato vel forma, mutari, corrumphi, vel deprauari possint: MOTV PROPRIO & certa nostra scientia, omnibus, & singulis Christi fidelibus, praesertim librorum Impressoribus, ac Bibliopolis, quo quis nomine nuncupatis, tam in Urbe, & illius districtu, ac statu, & ditione temporali nobis & S. R. E. mediate, vel immediate subiecta, sub quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolice eo ipso applicandorum, necnon amissionis librorum atque typorum; quam etiam per totam Italiam, & extra eam vbiuis gentium, & locorum constitutis, sub Excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis; Autoritate Apostolica, tenore praesentium interdicimus & inhibemus, ne per decem annos a Data praesentium computandos, primum Tomum Annalium a te editum, & alios singulos a te edendos totidem annorum spatio ab vniuersitate eorum editione numerando, absque tua licentia imprimere, aliove titulo, vel forma, quo quis praetextu mutatos, vel alio quocumque idiomate versos edere, vel sic editos vendere, seu venales tenere audeant, vel presumant. MANDANTES vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs locorum ordinarijs, eorumq. Vicarijs, seu officialibus in spiritualibus, generalibus, ac in dicto nostro statu Ecclesiastico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs officialibus: vt quando, & quoties per te, vel tuo nomine fuerint requisiti, praemissa contra inobedientes exequantur, & obseruari faciant, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibusvis personis quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si ad verbum infererentur praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisq. contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt praesentium litterarum exemplis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem vbiique fides habeatur, quæ ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris. Die xxvi. Junij, M D LXXXVIII. Pontificatus nostri Anno quarto.

*Tho. Thom. Qualterius.*

# S I X T A S P A V

DIRECTO HIRIO CAESARI PARVINO SORNO

TRASLATO CONGREGATIONIS ORATORI

NUNCATIVA

